

EXEQVIÆ
IACOBI
WACHSMUTHI,

cum

EPISTOLA CL. V.

D. JOANN. CASELII, AD
EUNDEM PARÆNETICA.



NORIBERGÆ

Excudebat Paulus Kauffmannus.

clō lō cii.

1700 gr. erud.
2/690,8

XLIII.

THE NEW YORK

JACOB

CHRISTMAS

THE NEW YORK

D. J. JOHNSON

NEW YORK

PROGRAMMA INVITATORIUM

AD

Funus honesti & eruditi adolescentis,

JACOBI WACHS-

MUTHI HALLENSIS,

qui obiit Altorfii in Acad. Norimbergensi, x xix.

die Octobris, c l o l o c i i . hora quasi i x .

ante meridiem.

RECTOR ACADEMIÆ ALTORFINÆ,

CUNRAD. RITTERSHVSIUS J. C.

LECTORI S. D.



ALTER jam mensis supra annum elapsus est, cum ad nos ex illustri Academia Julia, quæ est Helmæstadii, studiorum causa venit honestus & eruditus adolescens, JACOBUS WACHSMUTH, in Salinis Saxonis bono loco natus: & venit non sine commendationibus venerandi & clarissimi senis, D. Joannis Caselii, qui antehac in Academia Rostochiensis per complures annos studia sapientiæ felicissimè rexit, & longè lateque cum voce tum scriptis propagavit, & in Acad. Julia hodieque gubernare & propagare, ac de quàm plurimis bonis ingeniis benè mereri non desinit, quamvis magno natu. Jam enim in septuagenariis nomen profitetur suum. Is cum esset Jacobo propinquitate junctus, & aliquamdiu secum in convictu adolescentem habuit, quotidianis exhortationibus atque exemplis domesticis eum ad eruditæ virtutis decus conformans, & de voluntate parentis aliò migraturo auctor fuit, pro ea, quam de hac schola ejusque Professoribus habet, honestissima opinione, ut huc potissi-

A 2

mum

mum sese conferret, atq; ex ore penderet docentium: quibus quò gratior & commendatior esset, epistolas quoque *συζητικάς* ad aliquot nostrum ei dedit. Vidimus etiam epistolam benè longam, ad ipsum Jacobum à Caselio luculenter scriptam, qua non modò suam erga ejus commodam sollicitudinem, verùm etiam honestam de hac Acad. existimationem ad vivum exprimit. Quare ex tanti viri disciplina profectum adolescentem, tamque diligenter nobis commendatum, libenter ac volentibus animis excepimus, tùm pro generali nostra in studiosos bonarum artium & partium cura, tùm pro mutua in Caselium benevolentia, cujus præclaræ erga nos affectioni omnibus officiis respondere cupimus, ubicunque datur occasio. Receptus à nobis, ita inter nos hoc tempore vixit, ut bonam de se spem, quam D. Caselio Helmæstadii præbuisset, nobis quoque excitaret confirmaretque. Cum enim in bonorum auctorum utriusque linguæ lectione pro ætate sua probè versatus esset, ex iisque disceret *γινῶναι τὰ δέοντα καὶ ἐρμηνεύειν αὐτὰ*, ad privata exercitia etiam publicarum prælectionum auscultationem adjunxit, maximeque historicæ *πραγματείας* & Institutionibus Juris, & organicæ lectioni operam dedit. Sed neque disputationes neglexit, & *συζητήσεως* cum æqualibus adamavit, quæ si rectè atque ordine instituantur, mirū quantum utilitatis afferant studiosæ juventuti, & quanto opere ingenia discentium acuant, quamque *κεινωσικὰ καὶ ὁμιλητικὰ* efficiant: sin perperam exercentur, dici non potest, quantum importent mali, ut verè *ἀγαθὸν καὶ πῆμα* eas appellare liceat. Præceptorum amans & observans fuit: Moribus quoque ad alios commodis & honestis, omninoque eo præditus ingenio, qui errata juventutis, sicubi fervor cupiditatum adolescentiæ (ita ut fit) longius eum provexisset, non difficulter à superioribus corrigi, seque in viam officii reduci æquo animo pateretur.

Memini

Memini, cum nuper in reditu meo ex patria essem apud Caselium domi suæ, quò & alii convenerant mei honoris causa clarissimi viri, ejus Acad. Professores, tum ergo Caselium, qui convivii dominus esset, quærere ex me pro suâ de Jacobo curâ: Quid rerum ageret? ut vitam nunc inter nos suam institueret? Tum ego laudem ei tribuere modestiæ & diligentiae, quam longo jam tempore nobis probasset, ut verè ei hanc tribuere viderer posse. Incidit hoc nostrum de ipso colloquium ferè in illud ipsum tempus, circa quod intellexi superioribus diebus, huc reversus, ægrotare cœpisse Jacobum, cui dies hesternus extremus in terris fuit, animam reddenti DEO circa horam IX. antemeridianam. Morbi genus, quo non ultra XIII. dies decubuit, ex medicis audio fuisse febrem putridam, quo genere multos id ætatis, maximè apud exteros, extinctos novimus: nec in nostro cœtu antehac nulla exempla vidimus. Quò cautiores circumspectioresque esse convenit adolescentes, in vitæ victusque rationibus instituendis, ne fortè sibi ipsis morbos ejusmodi accersant, per intemperantiam, morborum & medicorum nutriculum: & sicubi spontè venerint (ut sumus homines variis telis expositi, & in nobis ipsis materiam morborum omnis generis & mortis adeò ipsius circumferentes) maturè eis occurrant, memores ejus, quod Cornel. Celsus scripsit, Quiete & abstinentia difficiles sæpè morbos curari. Neque hæc à me ita dicuntur, quod sciam, in Jacobo aliquid neglectum esse, quod ad ejus curam ac restitutionem pertineret: sed magis ut alios adolescentes pro meo in omnes amore, & pro officii mihi commendati ratione moneam de cavendis, quantū fieri potest, in quibus versantur, periculis. Jacobus quidem DEI manum in illa castigatione paterna agnovit, patienterque tulit, ejus voluntati se totum commendans ac permittens, cum ex Apostolo meminisset, sibi que subjiceret: Quando

judicamur, tunc à DOMINO nos corripì, ne cum hoc mundo damnemur. Et illud ex lib. Sapientiaè cap. 4. Placens DEO factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Et mox: Consummatus in brevi explevit tempora multa. Placita enim erat DEO anima illius. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. ὃν γὰρ θεοὶ φιλεῖσ' ἀποθνῆσκείναι, ut convenienter huic loco etiam ex Ethnicis Menander scripsit. Nec dubitavit Jacobus, morti jam vicinus, inter ferales illas angustias etiam cantillare rhythmos illos germanicos de beato vitæ exitu, quorum hæc est initialis sententia: Quando hora venit ultima, Letique calcanda est via, Tu CHRISTE dux viæ & comes Ades mihi ferens opem: Nec me relinque: spiritum Dextræ meum trado tuæ: Servare traditum velis: Quæque in hanc sententiam plura sequuntur, proculdubio à Sancto Spiritu dictata, pectori Christianâ constantiâ roborando. In hac patientia, & seriâ deploratione sequioris vitæ, quam in hoc adeò corrupto seculo aliquando egisset, fiduciaque misericordiæ DEI per CHRISTI meritum partæ, quam assiduis votis implorabat, & alterius vitæ melioris desiderio, cum placidè obdormierit, nihil de ipsius æterna felicitate dubitamus. Quæ res etiam parentibus ac propinquis ejus solatio esse, luctumque minuere debebit, cum filium ac propinquum suum sic defunctum, & hujus vitæ subtractum miseriis ac periculis intelligent. Funus ei fiet cras die Dominicâ, statim à concione matutinâ, ad cujus deductionem honorificam in æde sacrâ frequentes convenient & Professores & Studiosi, suæ quisque mortalitatis memores, & vitam ac salutem suam & aliorum DEO commendantes. Valete. P.P. x x x. Octob. c I o I o c i i.

SEQUI-

S E Q U I T V R
E P I S T O L A C L. V. D.
J O A N N I S C A S E L I I,

ad

J A C O B V M W A C H S M V T H V M,
cujus mentio fit in superiori Programmate.

J O A N N E S C A S E L I V S J A C O B O
W A C H S M V T H O S V O S.



VI primus te, Iacobe, ita fideliter litteris imbuit, quàm benè de te meruerit, per te intelligis. Viam enim ille tibi munivit ad omnem bonam doctrinam, & ad ipsa studia sapientiae. Non dissimile censeam, si portâ primùm egresso, & viam sciscitanti quis bona fide monstret. Cæterum fieri potest, ut progressus ad plurium viarum divortia veniens, dubites, aliquàmne insistas viarum, an iter in universum abjicias. Ibi igitur qui tibi rectam semitam monstret, item benè de te mereatur. Multis hoc sanè magni ingenii & bonæ spei adolescentulis evenit, ut relinquunt litteras, nisi parentes, aut quibus id curæ esse oportet, pergendum esse moneant. Iam verò hic mihi vide, quantum Lucæ patrueli meo debeas. Cum enim Pater tuus totus esset in re familiari, atque in ea ipsius parte, quam plærique omnibus cæteris anteponunt, & omnibus relictis, dies noctesque urgent, quasi ita liberis potissimum consulatur; ille curam de te non minorem, quàm de filio, consobrino tuo, hoc est, prorsus paternam suscepit. Vir bonus enim, & usu vitæ præditus, & probè intelligens, quantum boni insit in litteratâ educatione, pati non potuit, ut à literis abstraherere, præsertim, cum quas plus quàm primoribus labris degustasses, in pretio haberes, ut ultrò coleres, si in iis te aleret pater. Hic igitur cum tibi sumtus non negaret, ille tum te unâ cum filio deduxit in Academiam Iuliam, fretus mea fide & benevolentia. Tu verò non minus utramque expertus es, quàm patru mei nepos: nec ullius aliüs rei tam habui rationem, quàm tuæ voluntatis. Cum igitur tua studia mihi crederes, meque

cenforem etiam vitæ ultrò deligeres, neutram in partem tibi defui: quicquid te sive in liberalibus disciplinis, sive emendatione atque informatione vitæ sequi vellem, dixi, quoties visum fuit, nihil asperè, liberè omnia: non solùm, ut me libenter audires, sed etiam te, si vacaret, de nonnullis, scripto erudiri & moneri peteres: quin, ut essem promptior, secutus opinor exemplum contubernalis tui, modesti item & eruditi adolescentis, Leonardi Borgii, carmine non impolito me compellare non dubitasti, nec alterum dubitans, quin quod ille obtinuisset, idem tibi essem præstaturus. Neque vero te hoc fefellit. Namque etsi quotidie de una quaque re dicerem, quid mihi potius videretur: tamen de epistola quoque cogitabam. Eam tibi in alterum jam annum debeo, quod de habitu nihil suspicabar. Iam quia te pater domum revocat, hoc ære alieno exolvam me prius, quàm abeas ulterius: in quo etiam nostro consilio utêris. Omnino autem in Academiâ nobili Norimbergensium invenies & bonos & doctos viros, qui te non tam de nostra, quàm de tua ipsiusmet commendatione complectentur singulari benevolentia. Oratione enim & moribus tuis (his enim animus cujusque statim se prodit) nullo negotio tibi eos devincies. Cum enim sint, ut dixi, quod mihi de plerisque constat, illi, viri optimi & doctissimi, in vestra ætate virtutis & doctrinæ studium & ex hoc desiderium facilè agnoscunt, & ultrò nobis studia sua deferunt. Tu autem ea minimè desiderabis juvenis humanissimus & nobis modestiæ nomine ab initio gratus: quam laudem etiam à nobis ad tuos domum refers. Neque est jam in moribus tuis quidquam asperum. Id enim $\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota$, cui natura te obnoxium fecisse videbatur, ita ratione domuisti, ut & sodales facilè feras, & eorum nemini non suavis esse studeas: de quo, cum opus esse rebar, te monebam. Neque porrò igitur facilè animus tibi imperabit. Etsi enim facilem animi motum in ista ætate minus vituperari video; cum non defuerint, qui signum bonitatis dixerint; ego tamen in ea, quamvis pusillâ, ut habetur, maculâ eluendâ quemque velim statim initio operam ponere, non immemor, postquam in ea parte me nosse paulò serius didiceram, quanto negotio ad illud ab omnibus laudatum & præscriptum à sapientibus medium propius accesserim, si modò non interdum mihi ab ea aberrare contingit. Etenim minus nobis hac in re concedemus, etiam si cū pluribus nobis communis est, & ferè perpetuus morbus harum gentium. Facilius enim nostri homines

aliis

aliis voluptatibus moderantur, quàm animo, cui indulgere, meli
 multis esse experimur sæpius: nobis ne sit, cavendum est magno stu-
 dio: quod tu quoque, ex quo te novisti, facis. In studiis porrò iis in-
 genuarum artium, quæ apud nos coluisti, perseverans: non aberrabis.
 Conveniunt enim ingenio tuo: & quarum initia hausimus, ea rectius
 excolimus. Per alias autem atque alias palantes, vix unquã in ulla ali-
 quid solidi percipiunt, quòd in nulla omniũ radices agere potuerint.
 Nec inficior tamen, qui ordine erudiatur, plurium artium scientia-
 rumque aliquando compotem fieri: sed paucorum est ea ingenii fe-
 licitas sive divinitas, ut in plærisque eximium aliquid consequantur.
 Vires tuas jam habes penitus exploratas: cumque orationis forman-
 dæ rationem didiceris, nihil à te hac in parte velim fieri remissius.
 Nec enim valet apud me, quod te neglectum à natura quereris. Pri-
 mum hoc cogita, sive in curia sententiam dices, sive in foro versaberis
 (educaris enim profectò reip.) sive domi aliquid imperabis, nullibi
 absque sermone quod oporteat, effici. Itaque in illo amoliendo tibi
 laborandum putes, quod summum Atheniensium & omni studio co-
 natum & perfecisse feliciter, accepimus. Quin novi, qui adultio-
 res idem quererentur, nec minus ita proficerent, ut eos in dicendo
 æquarent, qui voce perspicua & suavi præstare judicarentur, scriben-
 do autem superarent. Hic enim est, ut dicitur, *δότες ὡλῆς*: taceo,
 quod sæpius scripta, prout hodiè sunt rationes in civitatibus & im-
 periis, quàm dicta oratione proficitur. Verum ut hoc relinquam,
 quantum boni in privato sermone præstiterit suis civibus Socrates,
 neminem fugit. Atqui hunc non leviter *βατταλίου*, scripsit in vitis
 Philosophorum Porphyrius. Hoc igitur incommodum arte corri-
 ges, ut minus appareat, aut præstantiã dictorum actionumque ob-
 rues, ut si appareat, vitio tibi nemo vertat intelligentium: ac plæ-
 rique tantò magis animum verbis advertant, cum nihil nisi singulare
 aliquid expectent. Libenter verò te iterum, de re, ut multi putant,
 levicula quoque monui, ut in omni vitæ parte perpolianda ma-
 gnum tibi studium esse ponendum memineris: ac proinde Græci vi-
 ros bonos *σπουδαίους* nominant, quos interpretari studiosos liceat, ut
 intelligamus, non tantum qui elegantibus doctrinis, sed qui honestis
 actionibus perpetuò plurimum operæ impendant: atque hoc eo us-
 que se extendit, ut & in ipsis jocos aliquem locum habere videatur.
 Nisi enim sit, in extremorum alterum facile transeant. Habes jam,

Iacobe, à me epistolam paullo uberiorem (ejusmodi enim expectabas) siue munus exiguum, meo etiam iudicio, nec elegans; sed tamen profectum ex ea benevolentia, qua te semper fui complexus. Si enim, ut quidam ajunt, omnis epistola habet instar muneris, eam muneri quam simillimam iudicabimus, qua cui in re necessaria aliquid consilii, ut in egestate argentum impertimus: verum ejus tamen ego fui parcius, cujus videlicet apud te non sit magna penuria. Vides enim ipse per te in omnibus, tam quæ ad litteras, quam quæ ad vitam degendam pertinent, quid facto opus sit. Reliquum est, ut quæ intelligis, in quibus te confirmari non à me solum, sed & ab æquali, non moleste feras, ea tibi ex animo nunquam ullius rei specie, quæ externos sensus suavius afficere videatur, excuti patiaris; sed in iis totus sis, donec te ipsum, siue mentem animumque tuum penitus corroboraris: neque tum non, de quo antè dixi, contentissimo studio opus est, quamdiu hanc vitam mortalem colimus. Nec verò quisquam tam impius est, quin omnia & ad auctorem primum omnium referat, & ab eodem petenda statuatur, & petat quotidie, nullam interim ipse negligens partem officii: ut hoc identidem inculcare supervacaneum, aut saltem minus esse necessarium, iudicem. Vale.

Helmæstadii ex Acad. Julia. xii. Kal. Sextil.

clō lo ci.



VERSUS

VERSUS JAMBICI DIMETRI,
CONTINENTES PRECATIONEM
AD CHRISTVM PRO BEATO
VITÆ EXITV.

Quando hora venit ultima,
Letique calcanda est via,
Tu Christe dux via & comes
Ades mihi ferens opem:
Nec me relinque: spiritum
Dextra meum trado tua,
Seruare traditum velis.
Patrata mentem consciam
Ut territent tunc crimina,
Quae plura arenis aequoris,
Non mi tamen spem gratia
Expectorabunt funditus,
Mors morte delecta est tua:
Peccata sanguis eluit.
Sum corporis membrum tui:
Quod unicum est solatium.
Nec mortis angores tuo
Me distrahent consortio.
Certus mori me sum tibi,
Qui sempiternæ munera
Vita moriens lucratus es.
Te ex morte vita reddito,
Reddet sepulcrum me quoque
Ascensio ad caelos tua
Mortis metum fugare scit.
Qua degis ipse te sequar
Iunctus perenni federe,
Ergo lubens vita emigro.
Contendo jam ad Christum meum:
Et lassatendo brachia:
Somnum capesso suaviter:
Me nemo homo natus excitet:
Vnus Dei Gnatus valet
Resuscitato mi ostium
Vitam ad perennem pandere.
Quum jam Helias cursum suum
Compleisset ac miracula,

Curru igneo impostum Deus
Reversit in calum: rotas
Equosque flamma innoxia
Lambebat effulgens procul,
Vatēque sistens Numini,
Ut Helias circumdatus
Flammis polo sese intulit
Vivus vidensque: sic pios
Post exitum vita istius
Christo reverso iudice
Ad se quoque evehet Deus
Cum corpore atque spiritu.
Post multa deinde secula
Idem Propheta vivus est
In monte conspectus Thabor,
Fidemque fecit omnibus
Vita perennis, quam pios
Post clausulam vita istius
Certum est manere apud Deum.
Et hunc quidem in fati erat
Redire terris vindicem
Ac prodromum extrema diei
Pranuntiūmque Iudicis.
Nunc cum reversus ille sit,
Clarāque vocem emisserit,
Certè in propinquo finis est.

Cunradus Rittershusius I C.
amicitiæ & memoriæ de-
functi

L. M. hoc dabat, ut Latina hæc me-
tra ex rhytmis germanicis, qui-
bus ille in morbo delectatus cum-
primis se consolatus esset, expri-
meret.

F I N I S.

REVUE GÉNÉRALE
DES TRAVAUX PUBLIÉS
EN FRANCE ET EN ÉTRANGER
PAR
M. DE LAUNAY

AN	TRAVAUX PUBLIÉS	REMARQUES
1844	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1845	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1846	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1847	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1848	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1849	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1850	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1851	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1852	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1853	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1854	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1855	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1856	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1857	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1858	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1859	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1860	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1861	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1862	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1863	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1864	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1865	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1866	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1867	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1868	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1869	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1870	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1871	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1872	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1873	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1874	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1875	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1876	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1877	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1878	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1879	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1880	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1881	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1882	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1883	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1884	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1885	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1886	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1887	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1888	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1889	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1890	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1891	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1892	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1893	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1894	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1895	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1896	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1897	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1898	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1899	Journal de la Société de Médecine de Paris	
1900	Journal de la Société de Médecine de Paris	

1898